





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE

SEPTICIS
EORVMQVE
VSV ET ABVSV
QVAM

ANNVENTE NUMINE DIVINO
CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMÆ FACVL-
TATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JUNCKERO

PROFESSORE MEDICINÆ PVBLICO ORDINARIO
PATRONO AC PRÆCEPTORE PIE DEVENERANDO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME CAPESSENDIS

H. L. C.

Ad d. August. Anno MDCCXLII.

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET
AVCTOR

GVSTAV DANIEL LEMBCKE

SCHLESVICENSIS.

HALE MAGDEBVRGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DE
MORIBUS
STEPHENS
RECTORIS
VSA ET
CONSTITUTIONE
IN ALMA REGIA UNIVERSITATE
DND JOHANNES JANKERO
PROBRADY DOCTORIS
GVSTAV DANIEL FLEISCHLE



A SON ALTESSE SERENISSIME
MONSEIGNEUR LE PRINCE
FREDERIC ERNEST

MARGGRAVE DE BRANDEBOURG,

DVC DE PRVSSE, DE MAGDEBOURG, DE CLEVES,
DE JULIERS, DE BERGUE, DE STETIN, DE POME-
RANIE, DES CASSVBES ET DES VANDALES,
DE MECKLENBOVRG, COMME AVSSI
DE CROSSE EN SILESIE,

BOVRGGRAVE DE NVREMBERG,

PRINCE DE HALBERSTADT, DE MINDEN, DE CAMIN,
DE VANDALIE, DE SVERIN, DE RATZEBOVRG
ET DE MEVRS,

COMTE DE HOHENZOLLERN, DE LA MARCK, DE RAVENS-
BERG, SEIGNEVR DE RAVENSTEIN, DE ROSTOCK
ET DE STARGARD *ETC.*

STADTHALTER ET GOUVERNEVR GENERAL AV
SERVICE DE SA MAIESTE LE ROI DE DANNEMARCK
ET DE NORVEGVE DANS LES DEVX PRINCI-
PVTES DE SCHLESVIG ET DE
HOLSTEIN,

MARECHAL DE CAMP LIEVTENANT GENERAL, COMMAN-
DANT EN CHEF DE LA CAVALLERIE ET DE L'INFAN-
TERIE CANTONEES DANS LES DEVX PRINCI-
PVTES ET COLONEL D'UN REGIMENT
D'INFANTERIE,

CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'ELEPHANT.

MONSEIGNEUR

La plupart de ceux qui osent de-
dier leurs Ouvrages aux grands
Seigneurs ont ordinairement
pour but de donner un grand relief à
leurs

leurs écrits & de se faire par là quelque réputation dans le monde à la faveur d'un Nom Illustre qu'ils empruntent; mais je crains, MONSEIGNEUR, & avec raison que la hardiesse que je prens de mettre celui de V. A. S. à la tête de ma Dissertation par une Epitre Dedicatoire ne produise par un effet de ma temerité tout le contraire, doutant que ceux qui auront la curiosité de la lire y trouvent l'Eloge que j'y dois faire de V. A. S. aussi convenable que la nature de ses qualités Heroïques le demande. Je serois presque de leur sentiment quand je regarde les forces de mon petit genie & l'étendue de ma capacité. Mais, MONSEIGNEUR, ceux qui raisonnent de la forte ignorant

rent la Generosité de V. A. S. qui
marchant du pair avec les plus grands
Heros s'arrête moins aux louanges
qu'on lui donne, qu'au coeur de
ceux qu'elle honore de sa bienveil-
lance & de son estime. Et comment
oserois je d'ailleurs parler dignement
de l'Auguste Naissance de V. A. S.,
de ses Illustres Ancêtres, de sa Grandeur
d'ame & de ses autres grandes qua-
lités qui surpassent infiniment les Ti-
tres Glorieux? réduit à les admirer
comme les autres je passe sans crainte
sur les jugemens qu'on pourra faire
de mon entreprise quelque temeraire
qu'elle soit & m'estime heureux &
mille fois heureux si V. A. S. daigne
recevoir gracieusement les premices de
mes

mes Etudes comme un Homage & u-
ne assurance de la profonde Vénération
& du parfait attachement avec lequel j'ai
le bonheur d'être

MONSEIGNEUR

DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

à Halle
le Aout
1742.

*le tres humble, tres obeissant
& tres devoué Serviteur*

GUST. DAN. LEMBCKE.



PROOEMIUM.



Extra omnem dubitationem positum esse arbitror, nihil in rerum natura dari tam præstans, nihil tam utile ac generi humano proficuum, quin per abutum & usum minus providum in maximum malum converti, & in mortalium pestem evadere possit. Huius rei veritas adeo clara & evidens est, ut eam anxie demonstrare, idem esset, ac soli lumen accendere. Facillimum foret, assertum nostrum innumeris confirmare exemplis, nisi, neminem fore, existimem, qui illud negare audeat. Ars autem nostra salutaris præ ceteris ejus modi exemplis
A quam

quam maxime abundat: nam quo majus est commodum, quod ex ea rite tractata in genus humanum redundat; eo tristiores producit effectus illegitimum hujus artis exercitium. Medicamina saluberrima haud rite adhibita sæpe in mala venena abeunt; adeoque, quod ad salutem integram conservandam, labefactam valetudinem restituendam, corporisque nostri machinam quam diutissime ab interitu vindicandam & defendendam a natura datum erat; illud ab ipsius ministris imperitis & minus circumspicis in lethiferum instrumentum convertitur, accelerandi fatum eorum, qui horum hominum curæ salutem suam crediderunt. Exempli loco vel unicam medicamentorum speciem adduxisse sufficiat, quæ *septicorum* nomine venit. Uti enim hæc legitime & opportune adhibita optatissimum sæpe effectum producant: ita e contrario, si improvide & temere tam interne dentur, quam externe applicentur; sæpe instar venenorum corrodendo in corpus & viscera grassantur, tragicumque ægroto exitum adferunt. Qui abusus septicorum cum sit longe frequentissimus, & mihi ab Amplissima Facultate Medica imposi-

positum esset, pro obtinendis legitime summis in medicina honoribus, specimen aliquod academicum edere: dignum mihi visum fuit hoc argumentum, in quod pro viribus inquirerem. Antequam vero de *abusu* agerem, necessarium fuit de septicorum *natura & usu* legitimo quædam præmittere. Faxit Deus T. O. M. ut labor hic in nominis divini gloriam valeat, & multa utilitas ex dicendis in publicum redundet.

§. I.

Cum de septicis sermo nobis futurus sit; ante omnia merito, quid per ea intellectum velimus, definiendum erit. Septica igitur nobis sunt medicamenta externa corrosiva, quæ acrimonia sua texturam fibrarum corporis nostri cute denudatarum irritant, destruunt que cum aliquali doloris sensu.

§. II.

Differunt *septica* a *causticis* & *cathareticis* gradu doloris, quem excitant, atque medium inter utraque tenent locum. *Caustica* enim sunt medicamenta externa, quæ majori, qua pollent, acrimonia, integra etiam cute, sensibiliorem excitant dolorem. *Catharetica* autem sunt medicamenta externa, quæ propter leniorem acrimoniam vix ac ne vix quidem aliquem doloris sensum producere

A 2

valent,

4 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

valent, si vel maxime cute remota cuidam corporis parti applicentur. Dolor itaque vel major vel minor constituit differentiam corrosivorum. Cum enim omnis fibrarum disjunctio atque dilaceratio in corpore vivo dolorem inferat; hæc vero sit corrosivorum natura ac indoles, ut fibras dilaceret: facile patet, nullum horum trium remediorum, nisi callo duriori ac crassiori imponatur, sine omni plane dolore agere posse. Neque acuratiorem horum remediorum a se invicem distinctionem insigni utilitate carere, ego quidem arbitror. Quod si enim in casu quodam dato pro ratione circumstantiarum cathartica sufficere videantur; nemini, ut caustica adhibeat, auctor svasorquæ fuerim: quippe ad quorum usum tunc demum deveniendum, ubi majori violentia opus est e. gr. in fonticulis inurendis, & similibus.

§. III.

Quia porro materiale principium agens omnium septicorum *salinum* est; sequitur, ut vulgaris salium divisio in *acida*, *alcalica* & *media* etiam ad septica pertineat: quorum hæc sunt mitiora, illa inter utraque medium occupant locum, ista vero fortissimos & violentissimos ostendunt effectus. Quamvis non sit diffitendum, dari etiam alcalica, quæ efficacia acidis non multum cedant.

§. IV.

Resolventia, sensu strictiori & medicis usitatori, a septicis differre, ex *definitione* patet: nam *resolvens* est medicamentum internum, partes corporis nostri fluidas disjungens. *Resolventia* itaque agunt in partes fluidas:
Septica

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 3

Septica autem in solidas. Cum vero solida a fluidis gradu cohaesionis arctioris vel laxioris partium differant: etiam septica a resolventibus gradu efficaciae differre, quisque facile videt. Quod eo minus dubium erit, si cogitemus, principium agendi illis inesse unum idemque: nam *acre salinum*, quod invenimus in resolventibus, etiam in septicis deprehenditur. Si itaque septica solvant solida; multo magis eadem hanc solutionem in fluidis praestare posse, nemo dubitabit. Et licet resolventium actio principalis respiciat fluida; omnem tamen illis actionem in solidis non denegamus.

§. V.

A *corrosivis* & speciatim a *septicis* parum etiam differunt *rubefacientia* atque *vesicatoria*: nam cum *vesicatoria* subtili & acri sale suo per cuticulam, quamvis illaefam, ad vasa cutis serosa usque penetrent, eaque disrumpant, atque connexionem cutem inter & cuticulam tollant, & sic serum inter cuticulam & cutem stagnans relinquunt, haud immerito ut species corrosivorum considerari poterunt. *Rubefacientia* vero, cum majorem sanguinis directionem vi salium stimulantium excitent, eodem jure illis accensenda esse, videntur. Idem dicendum de nonnullis *vomitivis* & *purgantibus*, quorum virtus ab acri sale, tunicas ventriculi & intestinorum stimulante, est derivanda. Horum enim fortiora, externe applicata, erunt septica: mitiora autem *abstergentia* seu *catheterica*, quorum differentia minima est, imo quae a plerisque pro synonymis accipiuntur.

§. VI.

Licet generaliter tantum rem pertractaturi simus ; usitata tamen & meliora septica, tam composita, quam simplicia, sive sint artificialia sive naturalia breviter recensere non abs re esse credimus. Possent quidem septica pro diverso gradu operandi & effectuum ad varias classes referri. Differunt enim ratione virium & efficaciarum a se invicem quam maxime. Sed hos gradus determinare, nulla ratione habita subjecti, cui sunt applicanda, irritum esset conamen ; quia unum idemque septicum in diversis subjectis admodum diversum producere potest & solet effectum : in honoratioribus enim & iis, qui tenerioris sunt habitus, lenissimum sæpe copiosum provocat affluxum, quem in rusticis & robustis ne caustica quidem extorquere valent. Nos interim securissima, probatissima & quæ usu maxime sunt recepta recensebimus, & quidem primo simplicia, deinde composita.

§. VII.

Mercurius præcipitatus ruber inter simplicia primum meretur locum, & instar omnium in plerisque affectibus, usum septicorum admittentibus, esse potest ; præsertim si vis ejus major paululum frangatur unguento aliquo digestivo, butyro insulso aut alia pinguedine. Huic fere par est *mercurius dulcis*, in primis sradendus in ulceribus venericis. *Alumen ustum* non solum agit per lenem sepsin, sed & nimium affluxum moderatur atque repellit, quod idem etiam dicendum est de *virriolo albo*. Lenissima autem, & non, nisi in tenerioribus partibus corporis, usurpanda, sunt *sacharum*, *salia media*, *olea destillata acria*
& em-

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 7

& empyreumatica, *oleum philosophorum, partes animalium incineratae, succus chelidonii majoris, esula, tabaci &c.*

§. VIII.

Septicorum *compositorum* usitatoria sunt *unguentum Ægyptiacum, Felicis Wurtzii & Apostolorum*: quorum præparatio in *dispensat. Brandenb.* describitur, & modus adhibendi accurate determinatur a *Celeb. JOH. HENRIC. SCHVLZIO in prælection.* ad idem dispensatorium. Restat *septicum sutorianum*, quod præ aliis celebre & commendabile est, quia fere sine dolore excrescentias præternaturales exedit, valis autem majoribus ob firmiorem texturam parcit. Inter arcana etiamnum habetur: quamvis enim nonnulli existiment, hoc septicum, quod alcalinam suam indolem per humidi celerem attractionem satis manifestat, ex cineribus clavellatis & calce viva præparari; *Celeberrim. Domin. PRÆSES* tamen hujus Disfertationis asseverat, quod falsa sit ista conjectura, quodque ex longe tenerioribus alcalicis subjectis septicum istud præparetur. Ex beati enim Auctoris manu propria possidet genuinam præparationem, quam vivus adhuc, silentii tamen fide, ei concedidit, cum gratum unquam animum pro beneficio, rem familiarem concernente, ostendere vellet.

§. IX.

Ad naturam septicorum intimius cognoscendam necesse est, ut modum eorum agendi brevibus perspiciamus; ad quem legitime explicandum nonnulla scitu necessaria præmittenda erunt. Et quidem primo notandum,

3 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

dum, quod omnia septica, imo generatim omnia corrosiva tam simplicia quam composita principio gaudeant salino, per quod actionem suam exerunt. Deinde, quod salia non facile agant nisi soluta. Et denique, quod menstruum omnium salium sit aqua: a spirituosis enim nullum sal immediate solvi potest. Hæc soluta salia corpori humano vivo applicata irritant acredine sua texturam fibrarum, eaque stimulatione efficiunt, ut major humorum copia congeratur ad affectum locum, quibus fibræ vasæque resistendis imparia, distenta tandem rumpuntur, disjunguntur, penetrantur, solvuntur & in statum fluidum convertuntur. Quodsi vero statim auferantur, vel alio modo vis eorum infringatur; irritantur quidem fibræ, sed non solvuntur, & operatio imperfecta manet.

§. X.

Quia vero non omnia salia pari agunt violentia; patet, nec omnia eadem celeritate eandem copiam fibrarum attingere, adeoque nec æqualem dolorem producere; quia doloris magnitudo ejusque gradus diversi dependent ex copia fibrarum diversa uno eodemque tempore dilacerata. Cumque hæc soluta salia vel valeant corpus nostrum afficere illæsa cute, vel minus: priora erunt caustica, posteriora autem vel septica vel cathartica, quippe ex doloris gradu æstimanda, uti supra jam dictum est. Causa autem, cur septica cutem non valeant lædere, est, quod structura ejus sit firmior & densior, quam ut eam penetrare possint, præsertim si in forma solida imponantur: *Confer.* JOHANN. GVILIELM. WERNERI *Dissertat. de medicamentis corrosivis*, ubi fusius admen-

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 9

mentem *Celeberrim.* HAMBERGERI illorum operatio pertractatur.

§. XI.

Ex his porro concludimus, quod, licet salia non facile agant nisi soluta, septica tamen in forma fluida sint mitiora, a menstruo enim vis eorum infringitur, praesertim si tanta fluidorum copia adsit, ut dilutiora evadant. Quodsi vero quam maxime saturatum sit menstruum, fluida cum solidis pari fere passu ambulant. Fluida autem haec septica, licet sint leniora, atamen citius optatum praestant effectum: cum solida e contrario, quamvis fortiora, tardius illum ostendant, nimirum post solutionem deinum ab humoribus corporis nostri factam. Vid. GEORG. WOLFG. WEDELI *Diss. de corrosivis.*

§. XII.

Excussa & perspecta jam paululum septicorum *natura*, breviter etiam eorum *usum* illustrabimus, & quidem primo generatim, deinde autem speciatim, quibus in circumstantiis sint commendanda.

§. XIII.

Generatim septica usum praestant 1) quando agrotus ob timiditatem & vehementioris doloris impatientiam, a ferri applicatione abhorrens, lentam exesionem & dolorem minus sensibilem diutius tolerare mavult; licet saepius dolores a septicis fortioribus revera intolerabiliores sint, quam si uno ictu id, quod praeternaturale est, ferro auferatur: 2) quando profundior situs partis removendae impedit ferri applicationem. Nam in profundis

dis & angustis illis ulceribus vel cavitatibus partes circum
 quaque adjacentes ferro facillime læduntur. Sic e. gr.
 caruncula urethræ, quæ commodissime septicis tollitur,
 instrumentum chirurgicum ægre admittit.

§. XIV.

Probe autem notandum, interna & externa reme-
 dia generaliora in quibusdam subjectis & circumstantiis
 non esse negligenda ad feliciter promovendum successum,
 quando præternaturale quid septicis tractatur. Scilicet
 in sensibilibus subjectis & gravioribus læsionibus: in
 leviori enim labe & quoad cetera sanis & robustis perso-
 nis istius modi generaliora non sunt necessaria. Possent
 vero hæc esse sequentia. 1) Ut alvus semper aperta ser-
 vetur, sive per blanda, sive per fortiora laxantia secur-
 dum rerum circumstantias: nam alvo constricta vel ob-
 structa facile affluxus in parte affecta excedit & curatio-
 nem turbat. 2) Ut per Diaphoretica æqualis sanguinis
 distributio in toto corpore obtineatur & humores fluidi
 conserventur. 3) Ut per venæsectiones superfluis & mo-
 tum circulatorium impediens sanguis evacuetur, ne re-
 tardet tractationem læsionis. 4) Ut motus excedens con-
 gestorius paululum frangatur & moderetur, interne per
 temperantia nitrosa, externe vero per discutientia in pe-
 ripheria læsionis applicata. His 5) addi debent infusa
 seu decocta ex herbis specificè mundificantibus & conso-
 lidantibus, quas PARACELSVS commendavit, e. gr.
 veronic. heder. terrestr. fanicul. pyrol. conjunctis resolven-
 tibus e. gr. rad. ari, pimpinell. albæ. Per hæc enim ulce-
 ra *ab intra* repurgantur.

§. XV.

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 11

§. XV.

His præmissis ad *specialem* septicorum usum progredior, monstraturus, in quibus casibus eorum applicatio concedi possit.

§. XVI.

Primo itaque adhibentur ad remotionem prænaturalium *excrescentiarum* in partibus, quæ ob minorem, quibus circumdatae sunt, nervorum copiam haud adeo facile sensu afficiuntur, in partibus nempe musculosis & subcutaneis; nam rarissime affluxus in hisce partibus a septicis excedens provocatur. Regula tamen hæc est observanda, ut semper a mitioribus incipiamus ad fortiora pedetentim progredientes. Præ omnibus ad harum excrescentiarum absorptionem laudari meretur *septicum sutorianum* §. VIII.

§. XVII.

Alter eorum usus constat in *repurgatione ulcerum & excoriatione carnis luxuriantis*. Ulcera enim præsertim cancothæa, quando solis digesti vis & abstergentibus, ut rad. ari. irid. flor. aristol. rot. domari nequeunt, septica requirunt, uti mercur. præcipit. rubr., mercur. dulc. cum unguento digest. mixtum, oleum laterin. seu philosoph. cum oleo ovorum, quæ fere sunt præstantiora & ab omnibus practicis approbata, non neglectis tamen inter-nis sanguinem depurantibus & aliis §. XIV. notatis generalioribus.

§. XVIII.

Speciatim ulcera *fistulosa* requirunt septica, ut callosita-

12 DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

Iositates auferantur & residuæ fibrillæ absumantur : licet & primam indicationem expleant scarificationes calli ad sanguinis usque eruptionem , ut vividus affluxus sanguinis restituatur ad affectam partem : præsertim tamen præferri debent hæ scarificationes , quando ulcus in centro jam est mundificatum ; quia septica facile affluxum augendo carnis luxuriantis generationi occasionem dant, consolidationem vero impediunt. Secunda indicatio, nempe remotio fibrillarum semi-corruptarum optime etiam, dum forcipe auferuntur, expletur.

§. XIX.

Porro ad *carnem luxuriantem* refrenandam & tollendam in spongiosis & sensibilibus partibus e. gr. in dura matre post trepanationem , vel in gingivis , lenissima septica effectus opinione majores præstant. Cujusmodi sunt Pulv. sabin. tartar. vitriolat. vel aliud sal medium, adjunctis subadstringentibus nervino-tonicis : fortiora e contrario dolorem vehementem excitant, atque aucto affluxu majorem intra viginti quatuor horarum spatium excrescentiam nobis sistunt, id quod frequentes observationes testantur.

§. XX.

Præterea usus etiam non est denegandus septicorum mitiorum in *ulcere carioso* : ibi enim primo curandum est, ut ab excrescentiis per septica os corruptum denudetur ; deinde vero ipsa caries, vel tractetur lenibus septicis, uti Pulv. herb. sabin. vel euphorb. conjunctis balsamicis & oleis destillatis cinnam. caryoph. ut exfoliatio corruptæ partis

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 13

partis promoveatur, sanæ vero conservatio obtineatur: vel, quod certis in casibus melius, ut abrasione usque ad sanam partem os mundificetur. Hoc vero intelligendum de castro, ubi caries nondum adeo invaluit: quodsi enim gravior præsens est in articulationibus, nil nisi amputatio membri, ceu ultimum refugium, ad vitam conservandam superest.

§. XXI.

Concedendus etiam usus septicorum leniorum in *Polypodium*, salsæ scilicet alcalicæ & cineres animalium vegetabiliumque usitatiores, quæ, vel tantum post operationem extractionis aut deligationis ad radices extirpandas cum balsamicis, ut oleo myrrh. p. d. applicantur; vel ad totam excrescentiam paululum scarificatam auferendam adhibentur. Inter alia ab Illustr. PRÆSIDE Tab. XXXIII. conspect. chirurg. præsertim commendatur pulvis talpi vel erinacei per ustionem paratus & cum cannula immixtus, ne circumjacentes partes simul a corrosione remedii corripiantur, quod officium etiam explet emplastrum internos nasi parietes amplectens.

§. XXII.

Cum emollientibus conjuncta septica adhiberi porro queunt ad *clavos pedum* extirpandos. Usitatiora sunt oleum petræ & cera viridis ex æruginè & cera citrina cum oleo composita, quæ aliquamdiu assidue applicata, certissime clavos absumunt. Quodsi vero dolor adsit, caute agendum, nec nisi mitiora imponenda sunt. Quæ cautione etiam opus est, ubi septica e. g. succus esulæ vel

chelidon. maj. ad verrucas exedendas adhibentur, ne forsan, si fortiora imponantur, remedia sint ipso morbo graviora.

§. XXIII.

Nec improbanda sunt septico-adstringentia mitiora opportune adhibita in *ungue*, *panno* seu *pellicula oculorum*; cujus causa est inflammatio & auctus affluxus ad oculos. Quando enim non omnia eo congesta revehuntur, sed crassiores terrestres partes, ob vasa tunicarum oculi tenuia & subtilia, stagnant, pelliculam formant, visumque impediunt. Externæ hujus panni curationis fundamentum est emollitio & remotio; primum præstatur pinguedine piscis ascie per 2 - 3 dies imposita; qua præparatione præmissa, alterum, ipsa nempe panni remotio, tenetur per lenissima septico-adstringentia, e. gr. per lapidem scissilem vel sacharum. Hæc si non sufficiant, paululum fortiora etiam admitti possunt, ut vitriol. alb.; hoc enim agit fibras non disrumpendo, sed tantum irritando, ut auctior tonus hunc pannum jamjam emollitum repellat. Cavendum vero etiam, ne negligantur interna laxantia, revellentia in primis & temperentia, per quæ ulterior affluxus impediatur. Sæpe enim ab Excell. PRÆSIDE curatam vidi pelliculam per sola temperantia, pulverem scilicet antispasmod. & laxantia mercurialia sine omnibus externis remediis: solis autem externis nunquam negotium perficitur.

§. XXIV.

In membris *gangrena* affectis aliquem possunt septica præsta-

prestare usum, si legitimo tempore adhibeantur, quando scilicet post scarificationem chirurgicam, id est, profundam, & applicata remedia, putredinem inhibentia, tonumque vasorum roborantia, tandem aliqualis suppuratione sese ostendit: tum enim spes superest, malum digestivo unguento, cum Ægyptiaco, vel alio septico mixto, posse debellari. In gangrana enim inflammatio ultra modum aucta est: hinc vasa, ultra sphaeram elasticitatis expansa, sese iterum contrahere nequeunt, & sic cessat tonus atque humorum circulatio in affecta parte. Obiter notamus, potius dicendum esse, gangraenae causam esse inflammationem ultra modum auctam, quam ut eum nonnullis asseramus, eandem in inflammatione ista consistere. Consistit vero in cessatione circuitus humorum partis affectae & hinc orta eorum corruptione. Scarificatione igitur opus est, ut superfluis sanguis emittatur & tonus redeat. Si jam sequitur suppuratione, methodus non differt a tractatione ulcerum, septicis nempe, digestivis & balsamicis. Quando autem solidae partes jam sunt corruptae, tunc *sphacelus* dicitur, & requirit eandem scarificationem in parte adhuc viva, & his vulneribus ingeritur septicum vel causticum, ut membrum demortuum a vivo secedat. Hoc vero commodissime obtinetur unguento Ægyptiaco vel spiritu vini rectificatissimo cum oleo caryophylli, & cinnam. vel cum ess. balsam. putredini resistentibus, vel causticis, ut oleo vitriol. butyro antim. cum balsam. conjunctis. His enim demortua pars a viva separatur, & novus affluxus legimus redit. Quando vero, his omnibus non obstantibus, *sphacelus* nihilo

lo minus progreditur: tunc ultimum refugium est amputatio perita manu facienda. Nam nos hic tantum loqui de sphacelo partium externarum, præsertim extremitatum, facile patet; partium enim internarum sphacelus nullam spem salutis relinquit. Et hæc sufficiant de septicorum usu legitimo dixisse: restat jam, ut etiam de eorundem abusu agamus.

§. XXV.

Primarius itaque & frequentissimus effectus illegitime applicatorum septicorum est *nimius affluxus*; qui consistit in inflammatione limites excedente: nam ordinarius est moderata partis læsæ latera ambiens inflammatio, quæ vix dimidiam calami scriptorii crassitiem superat latitudine. Non solum autem septicis affluxus augetur, sed etiam emollientibus; licet non uno eodemque modo utraque hunc producant effectum. Per emollientia enim fibræ cutis & subjacentium partium relaxantur, & hoc modo imminuta vasorum resistentia majori humorum copia patet introitus, unde hi passivè accumuluntur, & tumorem a nimio affluxu exsurgentem inducunt. Per septica autem, uti supra jam diximus, fibræ vel disrumpuntur, si nimirum concentrata quantitate applicantur, vel tantum irritantur, si mitiora & diffusa adhibentur, unde dolor: dolorem autem semper sequitur major ad affectam partem humorum directio, qui humores, si ultra modum congeruntur, nimium, de quo loquimur, affluxum nobis sistunt. Hanc vero nimiam inflammationem pessima semper comitantur symptomata; nam humores ea quantitate adducti, ut nequeant reduci, debilitant, dum vasa nimis expan-

expandunt, tonum, unde gangræna, quam cito sphacelus excipit. Satis autem constat, hunc mortis appropinquantis certissimum plerumque esse indicium; nisi statim affecta pars chirurgica operatione a reliquo corpore separetur.

§. XXVI.

Ante vero quam hos produxit effectus nimius affluxus, curationem admittit pharmaceuticam sequentem. Removeantur subito tam septica quam emollientia, tanquam causæ hujus mali, & horum loco applicentur discutientia & tonico-nervina. Adhibeantur nimirum species discutientes ex radic. irid. flor. pimpin. alb. caryoph. herb. chærefol. hyssop. apii flor. chamomill. sambuc. &c. sacculo inclusæ & cum vino vel aceto calide impostæ, vel spirit. vin. camph. crocat., qui mirum quantum præstat vel solus, vel cum sacculis discutientibus. His vero non sufficientibus, conjungenda sunt repellentia. Interim ulcus nondum mundificatum lenissimis digestivis tractari debet. Quando vero septicum non tam subito ex ulcere removeri potest, optima ejus mitigantia sunt olea cocta vel expressa, ut oleum amygdal. dulc. & pinguedines animalium, axungia &c. His enim septica involvuntur, ut vim suam præstare non valeant, idem & faciunt aquosa, quæ disjungendo vim eorum reprimunt.

§. XXVII.

Speciatim jam enumerabo, in quibus casibus prohibita videatur applicatio septicorum. Primo itaque improbantur in omnibus circumstantiis, ubi sola suppurantia,

C

dige-

digestiva & abstergentia malum tollere valent: quod enim per faciliora effici potest, non debet per difficiliora magisque dolentia fieri. In *vulneribus* itaque & in *ulceribus non qualificatis* hæc sola sufficiunt, omnesque septi-
corum species rejiciuntur, & ut superflua, imo noxia, excluduntur. Vulnera enim, nisi per reunionem curantur, ad obstructa vasa removenda, exiguum tantum requirunt affluxum & tractanda digestivis, ut suppuratio promoveatur: ulcera vero non qualificata requirunt abstersionem & mundificationem, quod plerumque etiam solis digestivis obtinetur, consolidatio autem ab ipsa natura optime perficitur. In ulceribus autem cariosis, cacoëthis &c. conceduntur septica, uti jam supra diximus §. XVII. & XX.

§. XXVIII.

In *ulceribus cariosis*, aut ubi ulcera jam usque ad ossa penetrarunt, abstinendum est a vitriolis; nam omnia acida vitriolica ossibus sunt inimica, illaque, nisi jam sint cariola, rodendo talia reddunt; cujus notabile exemplum refertur in *hisor. morb. Vratislav. Anno 1700. p. 230.* Male etiam olea emollientia applicantur, sed laudanda est abrasio vel expectatio exfoliationis cum apposis siccis turundis, §. XX.

§. XXIX.

Nec concedenda sunt septica in *ulceribus glandularum*, aut harum obstructionibus: nam, ob tenerimam structuram, majorem sensibilitatem, debilioremque tonum facillime affluxus excedit, & cancrum producit ulcus. Plu-

ra sane exempla docent damna hoc modo ab imperitis chirurgis illata, ex quibus unicum a Celeb. D. PRÆSIDE suppeditatum allegasse sufficiat. Vir quidam, qui fumum tabaci ex novo tubulo seu fistula traxerat, jam eam ex ore deponere volens, simul cum fistula cuticulam labii inferioris adhaerentem avellit, quod vulnusculum, licet levissimum, cum doloribus tamen conjunctum erat acutissimis, ob multitudinem nerveorum filamentorum. Jubet itaque accersi chirurgum, qui vulnus tam acribus septicis tractavit, ut tandem cancrum apertum hoc modo provocaret, nullis remediis debellandum, sed sectione demum auferendum. Paret itaque, abstinendum esse in partibus glandulosis a septicis & generatim ab omnibus irritantibus & dolorem affluxumque, qui immediate dolorem sequitur, producentibus.

§. XXX.

*Cancrum tam apertum quam occultum septicis tractare irritum est conamen, nec a prudente & perito medico aut chirurgo unquam suscipiendum. Occultus enim vel plane non tangendus, & semper affluxus præcavendus per generalia interne & externe adhibita, vel uno ictu exciendendus, cum appendicibus, glandulis nimirum cancerosis minimis, hinc inde in peripheria dispersis. Hoc enim nisi fiat, de novo generatur cancer, qui denuo multo difficiliorem extirpationem requirit. Conf. Celeberr. Archiatri JOH. THEOD. ELLERI *observationes medico-chirurg. p. m. 44.* Per septica vero vel tantum fortiora res solventia externa cancer occultus mutatur in apertum: per ea enim indurati glandularum humores emolliuntur, &*

quia revehi nequeunt, corrumpuntur, sicque cancrum apertum nobis sistunt. Ad legitimam vero cancri aperti cognitionem acquirendam necesse erit, ut ejus natura paulo intimius perspiciatur. Deprehenduntur nimirum in cancro duo mala conjuncta, sibi invicem opposita, quæ & opposita requirunt remedia, quorum malorum, dum alterutrum debellatur, alterum vires acquirit atque augetur. Adest enim serum falsum acre & erodens, quod septicorum salinorum & balsamicorum applicatione acrius redditur: adest etiam corruptio putredinosa, quæ a suppurantibus & serum falsum corrigentibus augmentum capit. Et hæc est ratio difficilis extirpationis hujus mali, & lenti corruptionis progressus, dum nempe serum falsum & acre corruptioni celeriori putredinosæ sese opponit. Septica itaque cancro applicata, suspendunt quidem aliquo modo progressum corruptionis gangrænoideæ, sed augmentum inde capit ichor salinus, acris & arrodens. Verum uberior cancri tractatio a nostro instituto aliena est, & longior, quam ut brevibus hujus Dissertationis limitibus includi queat. Qui eam desiderat, adeat Illustr. FRID. HOFFMANNI *system. medicin. rational. Tom. IV. part. V. cap. VI. p. m. 259.* & Excell. Domin. PRÆSIDIS *chirurgiæ tabulam de cancro & ulcerib. cancroideis.*

§. XXXI.

In partibus *aponeuroticis, membranaceis, tendineis & nerveis* omnium septicorum usus cessare debet, præsertim autem vitriolicorum, quippe quæ nimis arrodendo gravia excitant symptomata. Nam ob sensibilitatem, quæ gaudent hæc partes, maximam, nec mitissima perferre possunt.

DE SEPTICIS EORVMQ. VSV ET ABVSV. 21

possunt. Quodsi enim applicantur hisce partibus, vel tantum extremitatibus pedum & manuum, ob vaginas tendinum, acuto præditasensu, cito affluxus excedit, imo non solum humorum copia nimia eo dirigitur; sed & motus convulsivo-spastici excitantur. Speciatim vero, si attingunt tendines, membri, cui movendo hi destinantur, motum tollunt: Articulationibus applicatæ, synoviam producant: Nervorum autem ramificationibus paulo majoribus si imponuntur, motus convulsivi sequuntur. Meris itaque balsamicis & balsamico-digestivis ejusmodi mala tractentur, necesse est.

§. XXXII.

Noceat porro septica *organis tenerioribus & membris debilitatis*, nisi sint mitissima. Nam si e. gr. oculis ea adhibere volueris, ab humorum affluxu, per septica provocato, ophthalmia certe metuenda foret. Ob eundem affluxum abstinendum est ab iisdem, ubi membra debilitata & paralytica pristino vigori restituenda sunt. Cum enim in hoc rerum statu tonus debilis sit vel prorsus deficiat: ab aucta congestione humorum eo majus gangrænæ & sphaceli periculum his membris imminet, quo minus ob atoniam stagnatio & corruptio humorum impediri potest. Sic & in membris *aridura* affectis potius requiruntur emollientia quam irritantia septica. Merito etiam ad partes sensibiles *nevi materni* referuntur; hi enim vel tolerari possunt, si non nocent, vel, quod celeberrimi medici svident, sympatheticis eorum cura tentanda. Conf. *Excell. Dom. PRÆSIDIS chirurg. tab. de nev. maternis.*

§. XXXIII.

In hæmorrhagiis fistendis septicorum itidem nullus est usus. Sive enim mitiora adhibueris, sive ad fortiora confugas, utrobique irritus erit labor. Fortiora quidem & crustam inducentia interdum sanguinis effluxum sistere possunt; sed plerumque tantum ad tempus. Crusta enim, accedente suppuratione, emollita sanguinis erumpere nitentis vi resistere diu non valet, unde hæmorrhagia denuo incipit, quæ ut sistatur, difficile erit. Quodsi tam parum profint fortiora, quid a mitioribus expectandum sit, quivis facile videt. His itaque relictis, tutiora sunt quærenda. Et discissis quidem vasis minoribus coagulantia, ut spiritus vini rectificatiss. adhibeantur: læsis autem majoribus arteriis aut venis coagulantia non sufficiunt; sed deligatio, tutissimum omnium hæmorrhagiarum remedium, est instituenda.

§. XXXIV.

Denique etiam septica omniaque acria repudianda sunt in *venenatis*, *contusis* vel *sclopetariis vulneribus*, & exinde ortis, a quacunque causa, *ulceribus*. In his enim qualificatis morbis affluxus inflammatorius sæpe ad gangrænam & sphacelum usque excedit, & symptomata exacerbatur, uti amplius in chirurgicis docemur. Hic enim balsamica acria spirituofo non conceduntur, multo minus septica; sed digestiva & balsamica non spirituofo, ut oleum myrrh. p. d. & præsertim massa balsamica post abstractionem spiritus ab ess. balsam. STAHLII, in fundo remanens, totum absolvunt negotium.

§. XXXV.

§. XXXV.

Ultimo adhuc notandum, in applicatione septicorum & omnium acrium remediorum cavendum esse, ne attingant partes *sanas*, easque lædant. Quomodo in polypi narium tractatione cum septicis partes circumquaque vicinæ defendantur, §. XXI. dictum est. In caruncula urethræ applicentur ope instrumenti ad hunc usum adaptati. Et hæc sufficiat breviter de septicis eorumque usu & abusu dixisse.

T A N T V M.



VIRO JUVENI
PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO
DOM. CANDIDATO
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM
PRAESES.

Accipe, CANDIDATE nobilissime, dissertationem TVAM, & ea quidem facie, qua eandem mihi exhibuisti: nihil enim in illa, quod corrigendum fuisset, deprehendi; solam excipio Septici Sutoriani compositionem, quam TV cum aliis conjectura quadam augurari voluisti. Id, quod septicis virtuti praecipue venit, est, ut sine insigni dolore effectum suum praesent, eaque ratione noxium humorum adfluxum excludant: quem vero blandiorem agendi modum ab acidis corrosivis expectare non possumus; quia stringendo, distendendo & vellicando fibras dilacerant, eoque ipso non solum majorem, sed etiam diuturniorem dolorem, diffusa inflammationis principem auctorem, producant. Ex contraria parte alcalica septica scindendo & dissecando partes solidas

das disjungunt: quod quia citius faciliusque contingit, tolerabiliorem & mox evanescentem doloris sensum, humorum copiosum adfluxum excludentem, adducit. Quemadmodum autem per vulgus notissimum est, instrumenta chirurgorum secantia dispari plane ratione effectum suum præstare, eaque, quæ crassa sunt & obtusa, sensum magis dolentem, quam quidem acutiora, efficere: ita alcalica quoque septica non leve discrimen intercedit; teneriora enim, citius & commodius, tardius vero & difficilius crassiora penetrant. Quam alcalicorum differentem aciem optime perspectam habent illi, qui laboribus chemicis immorantur: si enim vel regulum antimonii destruere, vel vitra pellucida efficere, vel pulverem fulminantem parare student; experiuntur omnino, quam alcali optima nota & puritatis præ alio, impuritate terrestri & carbonaria hebetato, prærogativam habeat. Quamvis autem vel per calcem vivam, vel per alia subiecta, sulphur metallicum continentia, e. g. antimonium, stannum, ferrum, alcalia magis caustica & ad labores chemicos aptiora reddantur: hanc tamen mordendi & dissolvendi exaltatam vim scopo nostro chirurgico minus quadrare, experientia quemvis docebit.

D

cebit.

cebit. Sed tempus est, ut a rebus acerbis,
dolentibus & corrumpentibus transgrediar ad
eas, quæ dulcedine sua oblectant, demulcent
& restaurant. Quadriennium est, quo TE,
CANDIDATE clarissime, cognovi civem aca-
demie nostræ exoptatissimum, singulari diligen-
tia in studiis operosum, animi modestia, equi-
tate & firmitudine omnibus probatum, domesti-
cum gratissimum, pacis ac concordie studiosum,
cujus clamorem numquam in domo, ne dum
in platea quisquam audivit. Utinam ejusdem
indolis cives academia nostra haberet plurimos!
Gratulor TIBI & vere gratulor honoratissimis
PARENTIBVS, atque ad res porro prospere
agendas divinam facultatem exopto. D. d.
XXIII. Aug. MDCCXLII.

PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOM. CANDIDATO

AMICO INTER PAUCOS DILECTISSIMO

S P. D.

M. J. L. KORTVM.

Ego vero, AMICE SVAVISSIME, vix TI-
BI summos in arte salutari honores gratu-
labor, cum mihi in mentem venit, tristis qui
eos

eos sequetur discessus TVVS. Simulac enim primum TE videndi facultas mihi data est, ita statim TVA me cepit humanitas, ut jam non possim non de discessu TVO in patriam sollicitus esse. Cum perpaucis, ut ipse novisti, commune nobis est istud familiaritatis & consuetudinis vinculum, quod TV jam primus dirumpis, meque suavissimo TVO privas consortio. Vix Berolinum nos sociaverat, ubi communis nos jungebat labor, cum humane machina recondita scrutamur artificia; vix annus volvitur, quod TVA delecter amicitia, cum isti, quos nunc capis honores, TE jam ex amplexibus meis rapiunt. Alienum autem TIBI forte videbitur, quod inter omnium amicorum plausus & acclamationes ego solus conquerar: gratulor ergo TIBI eos, quos meritorum TVORVM diu promeritos jam capis honores, utque omnia prospere semper & ad votum cedant ex animo voveo. Figitur, quo TVA TE virtus vocat, & patriæ eos exhibe fructus, quos hic & alibi ex tot illustrium atque celeberrimorum artis nostræ principum ore & scriptis collegisti, quosque doctissimum TVVM, quod de Septicis edidisti, specimen expectare jubet. Cæteram licet hic ultimum TIBI forte vale dicam, TVA tamen semper apud me recens vigebit memoria.

moria. TV vero, quotiescunque in egrotantium salutem suscepta negotia, otium TIBI concedent, amicorum recorderis, Et nostri memor esto. Vale. Dabam Hale Magdeburgica d. XXII. August.
MDCCLXII.

Slaub, Werthster Freund, daß mich kein falsch Vergnügen
rühret,
Da Dich Hygäa jetzt mit Ehren-Lorbern zieret.
So bahnet Dir das Glück den Weg zu Ehr und Ruhm,
Doch nein! was sag ich, Glück? es ist Dein Eigenthum,
Dein unermüdter Fleiß, Dein enffriges Bestreben
Muß, wie Du es verdienst, Dir die Belohnung geben.
Die Proben welche Du so zeitig abgelegt,
Die Lehrer, so Berlin und Hall' im Schooße trägt,
Sind Zeugen Deiner Kunst, Geschicklichkeit und Wissen:
Drum darff kein Glückes-Wunsch aus meiner Feder fließen.
Die Ehre folgt Dir nach, Du machst es, nicht das Glück.
Jetzt bleibet dieser Wunsch mir noch dabey zurück:
Laß mich, so wie bisher, bey Deinem Wohlergehen
Beständig in der Zahl von Deinen Freunden stehen.

JOH. FRIDER. TSCHÉPIVS
Med. Cand. Soldavia Prussus
Opponens,

Zugend

Nugend, Wis und größter Fleiß sind die angeerbte Gaben,
Die Dich schon zum Weißheits-Thron nach Verdienst be-
fördert haben.

Dies erkennt, drum ehrt und liebt Dich Dein werthes
Waterland;

Und Hygæens Schmuck wird Dir von den Lehrern zuerkannt.
So muß denn auch Ruhm und Glück Dich, wohin Du kommst,
begleiten

Und zum höchsten Wohlergehn Dir die Staffeln zubereiten.

Hierdurch wolte Seinem werthgeschätzten Freunde
zu der rühmlichst erhaltenen Docter - Würde
seinen ergebensten Glücks-Wunsch abstattn

G. Hertel

Anspacens. Medic. Cand.

Oppon.

So siegt Dein muntreer Fleiß nach überstandnem Strei-
ten,

Und bringt zu Deinem Ruhm die angenehmste Frucht.
Das macht, kein Vorurtheil, kein Wahn kont Dich ver-
leiten,

Die Weisheit war der Schatz, den Du so sehr gesucht.

Beglückt! wer so wie Du, Geliebter, überwunden,

Dem folget Ehr und Glück von allen Seiten nach.

Beglückt! wer so den Kern der Wissenschaft gefunden,

Der bleibt stets vergnügt, ihn stört kein Ungemach.

Drum nimm den schönsten Lohn aus Meditrinens Händen,
Den sie Dir zugedacht. Tritt hin, sie ist bereit
Dir heute noch den Hut und Purpur zuzuwenden.
Die Freunde freuen sich, denn dieses Ehren-Kleid
Reißt jeden, der Dich kennt, zum inneren Ergehen.
Drum da die Liebe will, und meine Pflicht gebent,
Soll Dir auch meine Hand bis dauend Denckmahl sehen,
Daß Dir mein Herze wünscht, was Dich nur selbst erfreut.

D. G. Lipstorp
aus Stade
der Rechts-Gelahrtheit Beflissener.

Sied der Meynung falscher Schein vor der Weisheit
Licht zu schanden,
So entreißt die Argeneß sich des Irrthums schändlichen Ban-
den,
Sonst erfähret man den Schaden von dem angenommenen
Schluß,
Wenn der ausgekehrte Krancke unsre Fehler büßen muß.
Doch wir bauen auf den Grund, will ein Zweiffler wie-
derstreben,
D der Glaube wird ihm schon wirklich in die Hand gegeben.
Freund, Du weißt zu unterscheiden wenn ein Satz die Pro-
be hält,
Ober wenn die morsche Stütze der entlarvten Meynung fällt.
Du bist mit gewissen Schritt in das innerste gedrungen,
Heute

Heute hast Du in dem Kampff, Purpur, Hut und Preis
errungen:

Hoffe die erwünschte Folgen und ein immerwährend Glück,
Lebe wohl. Jedoch zuweilen denck an Deinen Freund zurück.

Heinrich Friederich Delius
aus Wernigerode,
der Arzney-Gelahrheit Befliffener.

Addere multa TVIS encomia laudibus esset
Frustra; nam splendet clarus ubique honos.
In Cathedra doctum TE præstas arte medendi,
Ingeniū summi dona sat ampla probas.
Septica longe absint nunc * Brunsvicensia dicta,
Aequivalent his hic scripta perita fatis.
Gratulor hinc laudes, quas jamjam maxima virtus
Tradens & flores, quos TIBI spargit honos.
Sit TIBI fausta manus: TIBI sic fortuna favebit.
Perpetuo felix tempore vive, vale.

* *Sutoriana*

*Nobilissimo atque Doctissimo Domino
Auctori, amico suo singulariter colen-
do adscripsit*

P. N. NYEGAARD
Danus Med. Stud.

Præmia

Præmia digna refers, dignissime cultor Hygeæ,
Jamque TIBI merita cinguntur tempora lauro.
Gratulor hæc TIBI, carissime, lætus, honorum
Primitias, sortis præludia certa futura.
Mens etenim præfaga mihi prænunciat, olim
Justum TE patriæ famæ, TE laudis avitæ
Heredem exemplis istis similem esse futurum.
Gratulor hinc merito de TE Patriæque TVISque
Atque precor, Numen summum TVA vota secundet,
TEque diu Patriæ servet miserisque salutem.

*Amicitia & Officii causa applaudens
hæc posuit*

T. PREHN

Jur. Cult.



01. A 6529

ULB Halle
002 928 701

3



Rehov







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA
DE

SEPTICIS
EORVMQVE
VSV ET ABVSV
QVAM

ANNVENTE NVMINE DIVINO
CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMÆ FACVL-
TATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JVNCKERO

PROFESSORE MEDICINÆ PVBLICO ORDINARIO
PATRONO AC PRÆCEPTORE PIE DEVENERANDO
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
LEGITIME CAPESSENDIS

H. L. C.

Ad d. August. Anno MDCCXLII.

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTET
AVCTOR

GVSTAV DANIEL LEMBCKE

SCHLESVICENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.